possidere et industria magna circa monasteria hortos plantare, olivas nutrire in locis desertis, et istis sic stantibus inutilia prorsus fuissent miracula. Sic etiam contigit filiis Israel in deserto, in quo de delicatissima manna vivebant, sed postquam fructus terrae sanctae habebant, cessavit mannae miraculum, Josuae 5. Nec est amplius tempus miraculorum, ut necesse sit oleum fluere pro infirmorum sanitate, vel pro sanctitatis ostensione virginis; ideo hic et circa alia sanctorum sepulchra cessaverunt fieri miracula, quamvis hodie ossa S. virginis videantur esse plena oleo et pressa oleum sudare possent, ut videtur; nec tamen omnino putet aliquis cessasse miracula S. Catharinae, etiamsi juxta sepulchrum S. virginis non fiant, saepe enim videmus majora per sanctos fieri miracula in locis, ubi eorum corpora non sunt, quam circa eorum tumulos. In multis locis hodie per S. Catharinam fiunt ingentia miracula, sicut in dioecesi Coloniensi in monasterio Reuenroth monialium ordinis canonicarum regularium, in quo inaudita contingunt miracula, ubi de parvo osse S. Catharinae dicitur fluere oleum, lac, balsamum et manna, et alia stupenda narrantur ibi verorum testium assertione. In vita S. Hilarionis dicitur, quod ex eo loco Syriae, ubi corpus ejus jacet, non contingunt miracula, sed in quodam hortulo Cypri, in quo habitavit vivens, maxima fiunt miracula. Sic etiam est de S. Catharina.

Ende

Qualiter autem corpus S. Catharinae sit inventum et huc translatum, iam videndum restat. Cum enim ex iniqua sententia imperatoris Maxentii in Alexandria virgo alma post plurima supplicia fuisset decollata, subito corpus ejus sublatum est et concurrentibus fidelibus, ut illud tollerent et sepulturae traderent, nihil invenire poterant, et quo pervenerit, penitus ignorabant. Nam invisibiles ministri sanctorum, beati angeli, ipsum in puncto exspirationis rapuerunt et per aerem in verticem montis Synai deportaverunt in locum, ut dictum est fol. 38. b. Fideles autem in Alexandria suspicabantur, ipsam cum corpore et anima in coelum assumtam. Jacuit autem corpus sacrum per CCC annos, quousque tota Arabia et Aegyptus fidem Christi recepit. Hoc facto ipsum desertum repletum fuit sanctis monachis et in pede montis Synai

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;